



**Francisci Monacelli Eugubini J. U. D. Protonotarii  
Apostolici, olim Venusinæ, postea Æsinatis, ac demùm  
Parmensis Ecclesiæ Vicarii Generalis, &c. Formularium  
legale practicum Fori Ecclesiastici**

in quo formulæ expeditionum usufrequentium de his, quae pertinent ... ;  
cum appendice plurium constitutionum apostolicarum

Formularii Legalis Practici Fori Ecclesiastici Supplementum - In Quo Non  
Solum Omnes Feré Formulæ, quæ in præcedentibus tribus Libris  
continentur, novis quamplurimis adnotationibus Legalibus Practicis, ac  
Sacrarum Congregationum Responsis roborantur; verùm etiam nonnullæ  
aliæ, quæ ad Operis ...

**Monacellus, Franciscus**

**Venetiis, 1732**

Decreti concessionis Ecclesiæ.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62442](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62442)

perierunt, & martires evaserunt: Haec Religiosae Virgines secutae fuerunt exemplum Ebbæ Abbatissæ, & Sociarum Collinganenſis Cœnobii, quæ anno 870. Danis Regnum Angliæ vastantibus, ne earum honestas periculum subiret, & fœderetur, nasum, & labrum superiorem novaculis sibi præciderunt: unde Dani furentes in Cœnobium ingressi id admirantes & indignè ferentes, igne in Monasterium injecto omnes combustæ fuere, ut *Bzovius* narrat.

*L'opra è accetissima al Signore.* Sic terminatur Epistola, quia ita loquitur *Breve Urbani VIII.* ad demonstrandum, quod hodie porrigentes manus adjuatrices huic, vel aliis operibus, non lucrantur indulgentias, quæ olim concedebantur iis qui subsidia charitativa ministrabant, juxta dictum *Navar. conf. 34. de penitent. & remiss.* quia *Pius V.* in sua *constit. 30. Bullar. tom. 2. pag. 214.* hujusmodi indulgentias abſtulit, & revocavit, prout declaravit *Sacr. Congreg. Concilii in Trisigen. indulgentiarum 15. Novemb. 1697.*

112 Quare advertant Episcopi, quod si aliqua indulgentiæ super hac re circumferri audierint, illas apocriphas esse judicent, nisi nova concessio authenticè exhibeatur.

*Eod. tit. 6. form. 7. pag. 199.*

113 *Num. 10.* Quod Episcopus non possit concedere Judici laico licentiam exhumandi cadavera, vel testes examinandi in loco immuni, pro faciendâ recognitione corporis delicti, præter ibi allegata, patet ex aliis decretis collectis à *Ricc. in Synop. in verb. Episcopus quoad immunitatem, num. 26. & 27. & in verb. recognitio corporis delicti, num. 8. & seqq.* Imò, quod nec Legatus à Latere possit mandare examinari testes, atque recognitiones fieri corporis delicti in locis immunibus sine speciali facultate Sedis Apostolicæ, probat idem *Ricc. in verb. Legatus, num. 3.* ubi decreta producit.

*Eod. tit. 6. form. 8. pag. 200.*

115 *Num. 4.* Regula est, quod confugiens ad Palatium Episcopi gaudeat immunitate, & si inde extrahantur, ibidem sint restituendi: at quando Episcopus mandat confugitum in suo Palatio carcerari, tunc Reus non gaudet immunitate, ut respondit *Sac. Congreg. in Signina 31. Julii 1703. lib. 1. Decret. Vallen. pag. 506.* à tergo relata à *Ricc. in Synop. verb. Palatium, num. 9.*

*Eod. tit. 6. form. 10. pag. 205.*

*Num. 1.* Adde ibi, quod, si aliquis Patronus laicus, vel Confraternitas pro augmento Divini cultus velit in Regulares aliquam Ecclesiam jam erectam transferre, & consensum Episcopi requireret, poterit licentiam concedere formula sequenti.

FORMULA

*Decreti concessionis Ecclesiæ.*

„ UT Ecclesiam sub invocatione  
 „ S. N. sitam, & erectam in  
 „ Loco N. hujus nostræ Diocesis, N.  
 „ Patronus PP. Ordinis N. concedere,  
 „ & in eos transferre possit, & valeat,  
 „ consensum, & beneplacitum nostrum præstamus, constituto jam nobis ex actis nostræ curiæ dictum N. concedentem, & transferre volentem esse Patronum legitimum dictæ Ecclesiæ, salvis tamen juribus Ecclesiarum Parochialium, & tertii, quatenus alteri in ea jus fuerit acquisitum, & dummodò Religiosi prædicti acquirentes, in actu acceptationis, & receptionis dictæ Ecclesiæ de manu Patroni valide renunciant juri sepulchrorum, adeo ut in ea neminem præter proprios Religiosos ad sepulturam recipere non valeant, & copiam concessionis hujusmodi authenticam in termino . . . exhibeant in nostra Cancellaria. Et ita, & non aliàs licentiam damus,  
 „ &

» & Decretum interponimus omni, &c.  
» Datum, &c.

N. Episcopus N.

Loco ✦ Sigilli.

N. Cancellarius.

ADNOTATIONES.

216 **CONCEDERE, ET IN EOS TRANSFERRE.** Fit mentio de sola Ecclesie materialis translatione, nam si cum Ecclesie fabrica concederentur, & transferrentur etiam bona, & jura illius, solus assensus Episcopi non sufficeret, quia ipse statum formalem Ecclesie immutare non potest, cum solus Papa habeat plenam bonorum Ecclesiarum administrationem, interiores vero Prelati meram gubernationem, & usum, ut pluribus relictis auctoritatibus firmat *Pacion. de locat. cap. 14. num. 13. & 14.*

217 **RELIGIOSI PREDICTI ACQUIRENTES** Ecclesias, & Oratoria publica de manu laicorum. Regulares non valent recipere sine expresso consensu Episcopi, ut habetur in *cap. nullus de jurepat. & in cap. cum, & plantare de privileg.* Ideoque laici Patroni Ecclesiarum inconsulto Ordinario illas in Regulares transferre non possunt. Et licet Jus patronatus in eos valide donationem transferat absque Episcopi licentia, & beneplacito, ut volunt *Barbos. de potest. Episcop. alleg. 71. num. 11. & 26. Tambur. de jur. Abbat. tom. 1. disp. 9. quest. 2. num. 2. Ventrigh. in prax. part. 1. annot. 1. §. 2. num. 26.* hoc

218 intelligitur de translatione juris spirituali annexi, quod laici habent ex reservatione in fundatione Beneficii respectu ad presentationem Clerici instituendi; non autem de donatione, & translatione, quae pertinet ad proprietatem fabricae Ecclesiae, & illius tituli, quam Laici Patroni nulliter faciunt quoties Episcopi consensus deficiat, ut distinguunt *Tambur. loc. cit. vers. ad argumenta, Barbos. in d. cap. cum & plantare, nu. 12. de privil.*

219 **DE MANU D. PATRONI.** Scilicet per funal donationem, & Ecclesie constructionem: Si enim non constaret Laicum, seu laicos transferentes esse Patronos legitimo titulo, sed esse Custodes, seu Administratores, aut detentores, tunc Ecclesia censeretur libera, & constructa ex fidelium oblationibus, & non posset à laicis praescribi, & effici Patronata, nec concedi Regularibus, *Vivian. de Jurep. lib. 1. cap. 2. num. 58. & lib. 2. cap. 9. num. 10. & 12. & lib. 4. cap. 8. num. 6.*

220 **VALIDE RENUNCIENT JURI SEPULCRORUM.** Supponitur in formula, quod Ecclesia, quae transfertur in Regulares, non habeat jus sepeliendi, & idè ad evitandas contentiones, quae frequenter oriuntur ratione funerum inter Ecclesiasticos cum populi admiratione, & scandalo; Episcopus, sive jure ordinario, ut hic, sive jure delegato Papae, aut Sacri Congregationis translationi, & concessioni consentiens, debet pro bono pacis, & concordiae hanc renuntiationem exigere, & Religiosi illam concordare, prout licitè, & validè facere, & admittere possunt juxta punctualem text. in *cap. 1. de pact. in 6.*

Si verò Ecclesia, quae Regularibus conceditur, jus sepeliendi haberet, tunc reservare debet Episcopus, quod saltem quartam funeralem Parochis de jure debitam solvant, non obstante, quod juxta ordinis privilegia eam solvere non teneantur.

Num. 22. Quod solus Episcopus concedat jus sepeliendi, non autem Vicarius Generalis, tenet *Passerin. de statut. hom. so. 2. qu. 187. art. 4. n. 370.*

Num. 23. Non solum debet Episcopus in concessione licentiae pro constructione Oratorii publici conditionem apponere, ne celebrerur in eo missa in solemnioribus anni Festis, sed etiam potest decreto Synodali statuere, ut diebus festis de praepcepto missae celebrari non debeant in Oratoriis, & Ecclesiis ruralibus, nisi celebrata Missa in Ecclesia Parochiali, ut declaravit *Sacr. Congr. Concilii in S. Agathe Gothorum 25. Maji 1852. lib. 19. Decr. fol. 191. confirmata in Camerinen. 30. Augusti 1704. favore Pa-*

123

124

125